



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Nicolaus Ep. 6. Decemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

6. Dec. VITÆ SANCTORUM. 765
lum abiisse anno D. XXXI. inter DD. Mar-
tyrum comitatus. *Ex Metaphr.*

*Verè dives est, qui in conspectu Dei po-
test dives videri, in cuius conspectu terra
exigua. mundus ipse angustus est. Solum il-
lum Deus divitem novit, qui sit dives æ-
ternitate, qui non opum sed virtutum fru-
ctus recondat. S. Ambr. l. 3. ep. 1.*

S. NICOLAUS EP. 6. Decemb.

MOres cum lacte ab infantiâ imbibit
NICOLAUS probat, qui cum à
primis cunabulis diebus Mercurii & Ve-
neris semel in die, idque noctu tantum,
maternum lac admisisset, eam consue-
tudinem jejunii per omnem deinde vi-
tam sacrosantam habuit. Adolescens
divitias omnes in pauperes dilapidavit,
ad hoc ingenio etiam, ne gloriolum
mercaretur, usus; uti tum fecit, cum
tribus puellis, quas noverca paupertas
prostituere parabat, dotem trinīs nocti-
bus furtim per fenestras immisit. Subin-
de cum pietatis causâ terram *Christi* ve-
stigiis nobilem peteret, iratum mare
quieti, nautam extinctum vitæ reddi-
dit. Post ex eremo ad homines divinâ
voce evocatus, & divino item indi-
cio Pontifex creatus Myræ, pro liberta-
te Catholicâ fortiter carcerem & vincu-
la tulit. Pro salute suorum sollicitus, etiam
cum longissime abesset, adfuit tamen.
Ita

Ita Imperatori quandoque Constantino
 conspectus iussit sententiam revocare,
 quam in tergeminos Tribunos innocen-
 tes tulerat. Ita institorem in somnis mo-
 nuit, frumentum, quod haberet, in ur-
 bem suam quam fames vexabat, conve-
 heret. Alias vocatus à navigantibus, sa-
 pius opem tulisse visus est. Quid? quod
 animum NICOLAI tumultus ejus est
 imitatus, oleum miseris propinans. Tu-
 mulatus verò memoretur circa annum
 CCC. XXVI. cum moriturus Angelos
 obvios habuisset, etiam nobis occurso-
 ros, si rectam viam insistamus. Ex Iustit-
 nia. & Brev. Rom.

*Post memoriam Virginis singularis tam
 dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus
 fidelium obversatur ut in die tribulationis
 nomen NICOLAI teneatur in ore, re-
 quiescat in corde. Si pulsamur incommo-
 dis, statim S. Confessoris nomen profili-
 os nostrum, NICOLAUS ingeminatur.
 S. Bern. serm. de S. Nic.*

S. PAULUS CONF. 7. Decemb.

PAULUM parentes dixere, addidit
 deinde virtus Obssequentis cognomen,
 quod ille nec cum Alexandris aut Scipio-
 nibus nunc commutabit. Quid? quod
 cœnobio ipsi, quod habitabat, nomen
 miraculis ingens peperit; Nam illud
 quantum obedientiæ sive exemplum
 sive.